



HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~
CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

ANTONII BERTOLONII EQ. AUR. M. D.

IN ARCHIGYMN. BONON. BOTAN. PROF. EM. PRAESID. COLLEG. MEDIC.
ET CHIRURG. BON., ET SOCIET. MEDIC. CHIRURG. BONON. E XL VIRIS.
SOCIET. ITAL. ACAD. SCIENT. INST. BONON. SOCIET. LINNAEAN. LONDIN.
NATU. CUR. HALENS. ET ALIAR. PLUR. ACADEM. SOCII

HORTI BOTANICI BONONIENSIS

PLANTAE NOVAE

VEL MINUS COGNITAE

FASCICULUS I.

BONONIAE

EX TYPOGRAPHAEO EMYGDII AB ULMO ET IOSEPHI TIOCCHI.

A. MDCCCXXXVIII.

Haec dissertatio est ab auctore in conventu Academiae habito IV. Id. Decembr. ann. MDCCCXXXV.

Hortus botanicus Bononiensis, cum ineunte vere anni 1816. mihi traditus esset, ut curam ejus gererem, alebat bis mille, et quingentas plantas, ut constat ex illarum catalogo, qui hactenus apud me servatur. Harum pars fere dimidia pertinebat ad stirpes exoticas, pars reliqua ad indigenas Europae. Primae diligenter colebantur fictilibus vasis commissae; sed quae calidarum plagarum erant, et ferae a Linnaeo dicuntur, perpetuo, et praeter necessitatem in hypocausto detinebantur. Plantae Europaeae, quippe quae caelo nostro assuetae, sub dio vigebant nullo ordine, nulla methodo distributae. Confestim animadverti, omnes hasce plantas esse numero pauciores, quam hortus noster capere poterat, et deerant omnino stirpes ex terris australibus, quae quidem jam tunc magni fiebant, et hortos botanicos ditabant. Itaque ad plantas rariores undique comparandas me converti, et commercium botanicum tunc novum pro horto nostro inii cum praestantissimis Europae viridariis, scilicet cum Vindobonensi, Pragensi, Graciensi, Cracoviensi, Halensi, Berolinensi, Wratislaviensi, Tigurino, Genevensi, Monspessulano, Parisiensi, Londinensibus nonnullis, cumque omnibus hortis Italiae, Taurinensibus, Mediolanensi, Modaetiensi, Patavino, Veneto, Tergestino, Mutinensi, Parmensibus, Genuensibus, Pisano, Florentinis, Romano, Neapolitanis, Siculis, ut sileam de caeteris; neque id satis; plurimi enim feci, si mihi semina comparassem e remotissimis

terrae plagis, quae quidem undique magna manu obtinui, neque vobis scire displiceat, Aloysium Joanettum civem nostrum, nunc in insula Trinitatis ad oras Americae meridionalis degentem, plura, et repetito illinc misisse, et missurum alia, quemadmodum mittent et caeteri juvenes nostri, qui nuperrime Brasiliam adierunt. Praeterea institui permutationem seminum cujuscunque generis cum omnibus hortis botanicis, quos antea memoravi, et eam quotannis hyemali tempore renovandam diligentissime curavi, et curo. Inter haec apprime studui, ut ope liberioris culturae vigor, et robustior habitus exoticis plantis infereretur, quem consequi non poterant, donec in hypocausto occluderentur suffusae aere mephytico, qui aeque vegetabilibus, quam animalibus insalubris. Itaque illas e carcere a tepore veris ad brumam hyemis eduxi, et amplioribus fictilibus paulatim credidi, atque ita solaribus radiis directe percitae, aere puriori circumfusae, meteorisque vivificantibus affectae novum adspectum novo fere miraculo prae se tulerunt, ut qui tunc vidisset, nunc vix recognosceret. Denique totum me converti ad ordinandas plantas, quae sub dio perpetuo vigebant. Distributio methodica plantarum est filum ariadnaeum, ut Linnaei verbis utar, sine quo scientia in cahos delabitur. Quis in tot millibus plantarum reperiret speciem sine auxilio systematis, vel methodi? Quis nexum specierum cum generibus, quis nexum generum cum ordinibus, vel familiis, quis nexum ordinum, et familiarum cum classibus sine auxilio systematis, aut methodi posset unquam percipere? Quare plantas omnes horti nostri, quae erant nullo ordine solo commissae, magno ausu, sed ausu felicissimo evellere institui, et ad Linnaeanum systema distributas reposui, applicitis nominibus classium, ordinum, generum, et specierum, ut res omnis unicuique eam dignoscere percupienti ictu oculi pateret, sive is fuerit curiosus, sive medicus, sive pharmacopola, sive herbarum studio addictus. Atque utinam amplior mihi data esset area, ut non minus ad Linnaeanum systema, quam ad naturalem methodum, sicuti nunc moris est, easdem plantas dispertire potuissem! Verum quod tunc mihi non obtigit, obtinget forte in posterum, et statim ac locus suppetat, plantae saltem officinales hac methodo distributae prostabunt.

Ex curis sedulis, indefessis, quas adhibui, factum profecto est, ut hortus noster nunc emineat inter praestantiores Italiae,

cum sex millia plantarum ad hodiernum diem possideat, et stirpium exoticarum cujuscunque regionis ditissimus, quam quis alius, habeatur ab omnibus, praesertim vero a peregrinatoribus, qui illum adeunt, et perlustrant. Verum ea omnia, quae narravi, perficere non potuissem, licet impense fuerim aggressus, nisi mihi adjumento esset Eminentissimus Cardinalis Archicancellarius noster Carolus Oppizzonius, qui non sumptui, non curis pepercit, ut mihi obsecundaret ad pulchritudinem horti, divitiasque ejus augendas, imo et ad locum salubriorem reddendum. Quid non sperent cuncta Archigymnasii nostri musaea, te protectore, te fautore, Vir munificentissime, splendidissime?

Restat nunc, Sodales praestantissimi, ut orbi botanico patefacere incipiam, quae sint divitiae nostrae. Qua de re plantas novas, vel selectiores horti per fasciculos evulgare constitui, easque non minus descriptionibus declarare, quam monstrare figuris ad vivum circumlinitis, et pictis; in hodierno autem conventu harum quinque propemodum novas vobis exhibeo daturus alias in posterum. Vos, qua praediti estis humanitate, excipite, et incepto forte non spernendo favete.

I.

IPOMAEA *fulva*: hirsutissima; foliis palmato-septempartitis, laciniis lanceolatis, acuminatis, repando-dentatis, externis minoribus; corymbis solitariis, pedunculatis, paucifloris *Tab.* I.

I. fulva *Bert. Hort. bot. Bon. pl. viv. p.* 5.*, et in Giorn. Lig. an.* 1827. *tom.* 1. *p.* 11. *n.* 3.

Perenn. Nascitur in Brasilia, unde semina attulit RADDIUS, et benevole dedit. Floret Augusto.

Radix collo crassa, tuberosa, tubere informi, deorsum producto in napulos fasciculatos, cylindraceos, longos, tortuosos. Caulis volubilis, teres, hirsutissimus, hirsutie horizontali, longa, quatuor-quinquepedalis, et ultra, subinde senio inferne glabratus. Folia alterna, petiolata, hirsuta, palmato-partita, laciniis septenis, lanceolatis, acuminatis, repandis, remoteque dentatis, rarius integris. Petioli inferiores folia aequantes, reliqui breviores. Corymbi solitarii, pedunculati, bi-quadriflori, vix ultra, patentes, et fere declinati, siti in axillis foliorum superiorum, plerumque paulo

longiores folio, hirsutissimi, pedicellis apice incrassatis, et quidquam compressis. Calyx quinquepartitus, segmentis ovato-oblongis, acutis, aut obtusis cum mucronulo, extus hirsutissimis, intus glabris, viscidulis, externis duobus paulo latioribus, oppositis, bracteiformibus, interna tegentibus, omnibus in fructu auctis, et stellatim patentibus. Corolla turbinata, alba, extus leviter luteola, calyce multo longior, fugax. Stamina quinque, corolla multo breviora, filamentis basi intus pilosis, parcius supra basim, antheris oblongis, effuso polline spiraliter convolutis. Stilus filiformis, stigmate capitato-bilobo, rugoso. Capsula ovoidea, obtusa, glabra, basi bilocularis, primum calyce aucto, vesicaeformi tecta, postea segmentis calycinis patentibus nuda. Semina duo in quovis loculo, grandiuscula, glabra, matura fusca, dorso convexa, intus pyramidato-trilatera. Hirsuties totius plantae fulva.

II.

Capsicum *cereolum*: fruticosum; foliis ovato-lanceolatis, acuminatis; pedunculis recurvatis; baccis ovoideo-conicis, acutis, laevibus *Tab.* II.

Frut. Nascitur in Brasilia, unde semina ad nos attulit, et comiter dedit Eq. Nunnezius. Floret Julio, Augusto.

Caulis teres, erectus, circiter spithamaeus, crebre ramosus, inferne cinereus, superne viridis. Rami erecto-patuli, e tereti obscure angulati, scabriusculi. Folia petiolata, ovato-lanceolata, utrinque angustata, apice acuminata, subconduplicata, quidquam bullata, et undulata, integra, margine ciliato-scabra, uninervia, parallele venosa, reticulataque, laete viridia, glabra, aut pilis minutis, raris adspersa. Petioli longiusculi, supra canaliculati, pilosuli, praesertim margine. Flores axillares, solitarii, vel gemini, pedunculati, pedunculis folio brevioribus, rigidis, recurvis, angulatis, pilosis, apice incrassatis, in fructu rigidioribus, et prorsus recurvatis. Calyx pentagonus, corollâ multo brevior, obiter quinquedentatus, viridis, subpilosus, persistens. Corolla pentapetala, concavo-patens, ex albo viridula, petalis ovatis, acutis, uninerviis, margine ciliolato-scabris. Stamina quinque, libera, erecta, corolla multo breviora, filamentis brevissimis, purpurantibus, antheris cordato-oblongis, conni-

ventibus, grandiusculis, turgidulis, bilocularibus, caeruleis. Stilus crassiusculus, purpurascens. Stigma obtusum. Bacca ovoideo-eonica, turgida, magnitudine olivae grossioris, acuta, laevis eum aliqua inaequalitate, at rugis nullis, glaberrima, nitida, immatura viridis, matura flava colore cerae virginis.

III.

BAUHINIA *versicolor:* fruticosa; foliis exquisite cordatis, bilobis, lobis late ovatis, acutis, divergentibus; racemis terminalibus; petalis lanceolatis, setaceo-acuminatis; filamento fertili solitario, longissimo *Tab.* III.

Frut. Nascitur in *Tampico* Amerieae Meridionalis, unde semina obtinui a BOSCHIO. Floret Julio, Augusto.

Frutieulus humilis. Caulis teres, inferne erectus, crassitie calami scriptorii, superne declinatus, et solutus in ramos alternos, patentes, juniores pubescentes. Folia parva, alterna, petiolata, exquisite cordata, biloba, lobis late ovatis, acutis, divergentibus, quinquenervia, reticulato-venosa, supra saturate viridia, pilosula, subtus pallidiora, puberula, scabrida. Petioli folio breviores. Racemi solitarii, simplices, terminales cauli, ramisque, initio corymbosi. Braeteae lineares, pedicello breviores, virides, pubeseentes. Pedicelli apice clavati, primum erecti, postea deelinato-patuli, pubescentes, virides. Calyx e viridi albens, pilosus, lateraliter dehiscens, demum marcescens, factus laciniis quinque in medio connatis, basi plus minus scissis, apicibus aeuminato-setaceis, liberis, paululum inaequalibus. Corolla pentapetala, calyce duplo longior, primo die alba, die postero rosea. Petala lanceolata, longe unguiculata, apice aeuminato-setaeea, patenti-recurva, canalieulata, subundulata. Stamina diadelpha, inferiore fertili, corollam ad triplum superante, reliquis castratis, corolla quidquam brevioribus, apice reeurvis. Filamenta filiformia, alba. Anthera unica, oblongo-linearis, bilocularis, oblique incumbens, fusea. Pistillum stamini fertili aequale. Ovarium liberum, pedicellatum, compressum. Stilus filiformis, basi erassior, elongatus, pilosus, albus, assurgens, persistens. Stigma crassiusculum, obtusum, fuscum. Tecaphorum filiforme. Legumen lato-lineare, compressum, praelongum, virens, pubescens, uniloculare, po-

lyspermum, suturis canaliculatis. Plures flores sunt tantum mares, pauci hermaphroditi. Valvae leguminis sicci disjunguntur, et spiraliter contorquentur.

IV.

Melocactus *rufispinus*: caule crasso, cylindraceo-clavato, costis subsedecim, fasciculato-spinosis; spadice terminali convexo-depresso, mammillis densissimis, apice floriferis *Tab*. IV. *fig*. 1. 2.

Echinocactus rufispinus *Bert. in Annal. di stor. nat. tom.* 3. *pag*. 223. *n*. 5.

Frut. Habitat in insula S. Thomae Americae meridionalis, unde attulit Tinius navarchus Genuensis. Floret ab Julio in autumnum.

Caulis crassus, dodrantalis, cylindraceo-clavatus, sulcatus, costis subsedecim, basi latis, acie acutis, repandisque, nonnullis inter se se confluentibus. Ex eadem costarum acie prodeunt spinae fasciculatae, ortae e pulvinulo albido, puberulo, brevissimo, demum evanescente, decem-duodecim in quovis fasciculo, validae, patentes, subinaequales, aliae rectae, aliae leniter recurvae, juniores fulvo-rufae, seniores cinereae. Spadix terminalis, anno primo valde depressus, annis successivis gradatim auctus, convexo-depressus, in meo individuo biceps, totus densissime mammillosus, mammillis contiguis, parum prominentibus, ex apice floriferis, albo-lanatis, obvallatisque spinis setaceis, rufescentibus. Perigonium factum sepalo crasso, tubuloso, tubo extus inferne laevi, laeviterque sulcato, pallide roseo, limbo laete roseo, plurifido, laciniis imbricatis, externis brevioribus, subintegris, strictis, reliquis erosulis, in anthesi recurvulis. Stamina inclusa. Filamenta seriebus pluribus tubo adnata, ad originem limbi desinentia. Antherae luteolae. Stilus crassiusculus, filiformis, rubidus, stamina superans, perigonio subaequalis. Stigma quinquefidum, albidum, laciniis in anthesi recurvulis, ante, et post anthesim conniventibus. Bacca parva, oblonga, obtusa, pellucida, glabra, albens, intus aquosa.

Flos inodorus. Evigilat circa horam secundam post meridiem, nocte adventante connivet, clauditur nunquam se aperturus, demum marcescit.

Haec species quodammodo recedit a genere *Melocacti* ob mammillas ex apice, non e latere floriferas; sed cum reliqua omnia ex asse conveniant, puto, genus hoc subdividendum esse in sectiones duas, quarum altera comprehendat *Melocactos* proprie dictos mammillis e latere floriferis, altera *Mesocactos* mammillis floriferis ex apice.

Tab. IV. *fig.* 1. *exhibet plantam cum spadice anni primi.*

Tab. IV. *fig.* 2. *ostendit spadicem annorum duorum successivorum.*

V.

ACACIA *callosa:* inermis; foliis bipinnatis, partialibus trijugis, propriis sexjugis, foliolis obovato-falcatis, oblique cordatis, tomentosis, externis majoribus; spicis capitatis, terminalibus paniculatis, axillaribus simplicibus, subgeminatis *Tab.* V.

A. callosa *Bert. Hort. bot. Bonon. pl. viv. p.* 3.

Frut. Nascitur in Antillis, unde semina obtinui a BERTERO. Floret Novembri, Decembri.

Caulis teres, plusquam orgyalis, inferne subverrucosus, rimulosus, cinereus, superne parce, et alterne ramosus, ramis apice viridibus, pubescentibus. Folia bipinnata, partialia trijuga, propria sexjuga, tomentosa, supra e glauco viridia, subtus pallidiora. Foliola obovato-falcata, acutiuscula, vel obtusa cum apiculo in medio, integerrima, basi semicordata, exteriora majora. Petioli teretes, tomentosuli, vix supra canaliculati, universalis, et partiales basi calloso-geniculati. Glandulae petiolares nullae. Stipula utrinque una ad basim petioli, foliacea, lanceolata, longiuscula, acutiuscula, striata, viridis, tomentosula, patula, demum marcescens, ferruginea. Spicae globosae, magnitudine fragi, terminales paniculatae ex abortu foliorum, remanentibus stipulis, quae tunc bracteae evadunt, laterales simplices, axillares, pedunculatae, solitariae, vel geminae, divaricatae. Pedunculi fere bipollicares, striati, pubescentes. Calyx, et corollâ ex albo virent, et magis apice. Calyx quinque-sexfidus, corollâ paulo brevior, laciniis linearibus, subciliatis. Corolla quinquefida, segmentis ovatis, cito revolutis. Stamina basi mona-

delpha, corolla multo longiora. Filamenta capillaria, sub vitro crebre articulata, seu confervoidea, albo-virentia. Antherae minutae, peltatae, luteae. Ovarium liberum, parvum, virens, apice oblique rostellatum, rostello in stilum abeunte. Stilus ascendens, forma, structura, colore, et longitudine filamentorum. Stigma simplex, crassiusculum, truncatum. Fructum hactenus non perfecit.

Tab. I.



Ipomaea Fulva Bert.

C. Bettini del: Lit Tobbi

Tab. II.



Capsicum cereolum Bert.

C. Bettini del.

Lit. Tobbi

Tab. III



Bauhinia versicolor Bert

C. Bettoni del.   Lit. Vene e Bettoni

Tab. IV.

F.1.

Melocactus rufispinus Bert.

F.2.



C. Bettini del.

Litª. Bettini et Nini

Tab. V.



Acacia callosa Bert.

Bettoni del.

Lit.a Bettoni et Vi...

ANTONII BERTOLONII EQ. AUR. M. D.

IN ARCHIGYMN. BONON. BOTAN. PROF. EM. PRAESID. COLLEG. MEDIC. ET CHIRURG BONON. E XL VIRIS. SOCIET. ITAL. ACAD. SCIENT. INST. BONON. SOCIET. LINNAEAN. LONDIN. NAT. CUR. HALENS. ET ALIAR. PLUR. ACAD. SOCII

HORTI BOTANICI BONONIENSIS

PLANTAE NOVAE

VEL MINUS COGNITAE.

FASCICULUS II.

BONONIAE

EX TYPOGRAPHAEO EMYGDII AB ULMO EL JOSEPHI TIOCCHI.

A. MDCCCXXXIX.

Haec dissertatio lecta est ab auctore in conventu Academiae Scientiarum Instituti Bononiensis habito Postr. Id. Mart. MDCCCXXXVII.

ANTONII BERTOLONII EQ. AUR. M. D.

FASCICULUS SECUNDUS

Plantarum rariorum, vel novarum horti Botanici Bononiensis

Fasciculum secundum plantarum rariorum, vel novarum horti botanici Bononiensis vobis exhibeo, Sodales praestantissimi, cui praefabor absolvens narrationem eorum, quae a me praestita sunt ad eundem hortum ornandum, perficiendumque.

Cum veni ad vos nullus erat locus seminibus excipiendis, servandisque aptus. Pauca semina, sacculis chartaceis concredita, nullo ordine distributa, pulveri derelicta totum penu seminarii horti nostri sistebant. Atqui seminarium est alimentum primum, et praecipuum horti, neque hortus verus sine seminario esse potest. Hoc suppetias continuo fert plantis, quae cursum vitae brevem absolvunt. Per hoc nova semina a reliquis hortis nobis comparamus, et supellectilem nostram augemus, ditamus. Itaque omni cogitatione, et studio illico incubui, ut seminarium institueretur, quo hortus noster intus, et extra celebrior, quam unquam fuit, evaderet. Parcens quotannis, quoad potui, sumptibus horti silentio mihi comparavi pecunias ad rem necessarias, quibus conclave ad semina excipienda extructum est; idem substratum tabulis, loculamentis ligneis undique circumseptum, vasisque crystallinis probe operculatis ad mille, et septem centum ditatum. Ita seminarium fuit, nullo imperante, nullo contradicente, omnibus postea probantibus, et admirantibus. Quae res adeo placuit Eminentissimo Cardinali Carolo Oppizzonio, ut, cum is ad regimen Archigymnasii nostri devenisset, nulla interjecta mora obsecundaverit, quo con-

clave alterum simili pacto extaret, et extitit. Quare nunc seminarium e tribus millibus vasculorum, et qualitatum seminum possidemus, a quo tot, tantaeque species, quae hortum nostrum exornant, nulla fere expensa, nullo labore dimanarunt, perque hoc permutationibus annuis nova semina mihi comparo a praecipuis hortis botanicis Europae, scilicet a Londinensibus quibusdam, a Parisiensi, a Berolinensi, ab Halensi, a Monacensi, a Vratislaviensi, a Vindobonensi, a Cracoviensi, a Pragensi, a Petropolitano, a Monspessulano, a Genevensi, a Tigurino, et ab omnibus insuper Italiae hortis.

Erant apud nos horti sicci plantarum ditissimi, antiquitate spectatissimi. Horum primus, et praecipuus continet quatuor mille, et trecentas species ab Aldrovando ad Rodatum usque coadunatas, in quibus plures sunt ab ipso Aldrovando in Hispania lectae, et magni faciendae. Secundus ab hoc habendus hortus siccus Josephi Montii, dives bis mille, et quingentis speciebus praeter plantas seorsim positas, et ab ipso Montio relictas, quae respondent stirpibus descriptis in opere, cui titulus est = Catalogi stirpium agri Bononiensis prodromus Gramina ac hujusmodi affinia complectens, Bononiae studiorum 1719. = Hae autem sunt bis centum, et triginta tres species e Graminum, et Calamariarum familiis, atque unaquaeque earum insignitur chartula typis impressa, eandemque phrasim specificam ferente, quae in libro Montiano jam descripto exhibetur. Quid praestantius ad intelligentiam Montiani operis tam saepe, nec semper certe, a Linnaeo prolati? Adeo ut mihi primo forte contigerit, ut tute usus sim Montianis synonymis in Flora Italica sistenda, atque enucleanda; quinimo operae praetium duxi addere hisce stirpibus aliam chartulam manu mea exaratam nomine speciei in ipsa Flora Italica exhibitae, quo hortulus iste non minus valeret ad opus Montianum, quam ad nostrum conjunctim explanandum. Tertius denique hortus siccus musaei nostri ad collectorem antiquum Bononiensem, sed incertum, pertinet, et fere duo millia plantarum continet, quas inter pauculae sunt, quae Joanni Fabrio, olim Simpliciario Pontificio, et inter Academicos Lyncaeos magni nominis attribuendae. Inter evolvendum vero totum hunc hortum res patuit attentione vestra dignissima, et mihi ultra expectatio-

nem carissima. Reperi enim quasdam plantas arte ex serico factas, ut nec major similitudo, nec vividiores colores naturam imitantes haberi possint. Utinam ars haec effingendarum ad naturam ex serico stirpium iterum innotesceret, imo reviviscerct! Atque tota haec horti tertii supellex, cum ad manus meas ex dono pervenisset, illico eam intuli in hortum nostrum, cui apprime debebatur, cum collectoris Bononiensis supellex esset.

Horti sicci, de quibus hactenus pertractavi, pulveri, et insectis vorantibus derelicti, a muribus proh pudor! vastati, nulla distributi methodo degebant, ut nullius utilitatis ad scientiam essent, cum tamen utilissimi esse possent. Cui rei ut opem, et medelam afferrem, plantas omnes solutione sublimati corrosivi lavandas, et in chartas novas transferendas curavi, postea vero in classes, ordines, genera, et species dispertivi; cumque plures phrasibus tantum antiquis distinguerentur, reliquae carerent nomine: cunctae nominibus a Linnaeo, vel a systematicis, qui post Linnaeum fuerunt, traditis insignitae sunt, ut hodie non minus nos adjuvent in determinatione plantarum horti nostri, quam opem praesertim ferant in synonymis Florae Italicae enucleandis, atque adhibendis. His autem rebus conficiendis suppetias potissimum tulit filius meus natu major, et nunc in cathedram scholae botanicae nostrae mihi suffectus, qui assiduo multorum mensium labore manum operi admovit, et cuncta mecum polivit, atque cohordinavit.

Deerat horto nostro supellex carpologica ex fructibus exoticis. Haec habebatur in musaeo materiei medicae, cui profecto non tam bene attribuebatur, quam si musaeo horti nostri attributa fuisset. Id persensit praestantissimus materiei medicae Doctor Fulvius Gozzius collega noster, qui, superioribus annuentibus, eam nobis humanissime concessit, et nunc collectiones nostras exornat, utilis in primis ad carpologiae scientiam explanandam, atque promovendam, in qua botanici recentiores plurimum consistunt, ut plantarum familias, atque genera firmius, quam antea, statuant. Nuperrime vero cum perillustris Joachimus Velasquezius Legationi Mexicanae apud Romanum Pontificem addictus supellectilem carpologicam e Guatimala Americae mihi largitus esset, statim eam intuli in musaeum nostrum, cui additamentum non spernendi pretii suppeditavit.

Postremo alte dolebat, nos non posse in praelectionibus nostris uti fungis vivis ad doctrinam fungorum exponendam, qua saluti publicae tam utiliter prospicimus. Seges fungorum amplissima in Italia est; at quot, quantisque periculis vita hominum a fungis venenatis laborat! Pudet dicere, etiam nunc perniciosos fungos indiscriminatim cum bonis venire in foro olitorio nostro ex malo principio, quod agarici omnes, qui annulo pollent, habentur innocui, dum plures sunt lethales. Cum igitur necessarium sit docere discipulos de hac re, utile duxi, fungos cereos ad naturam effictos nobis comparare, quibus musaeum nostrum ditavi, et quibus augendis omni studio, atque solertia contendam.

Haec sunt, quae egi pro horto Archigymnasii nostri. Si ea recte praestita judicatis, favorabiliter accipite, et curis nostris humanitate vestra indulgete.

Venio nunc ad descriptionem plantarum, quam spopondi, et primum loquar de novo genere statuendo. Genus *Capparidis* hactenus comprehendit species fructu diversissimo pollentes; hic enim in aliis baccatus, in aliis omnino capsularis. Plumerius primus viderat, plantas fructu capsulari consociari non posse cum plantis fructu baccato, et genus *Breyniae* ad primas significandas adhibuit in Nov. pl. Amer. gen. p. 39. Linnaeus in editione prima Gen. pl. Lugdun. Batavor. 1737. p. 113. n. 321. hoc Plumierii genus retinuit; sed postea in Gen. pl. ed 6. Holmiae 1764. illud suppressit, et conjunxit cum *Capparide*, forte quia non vidit fructum recentem, et plus, quam par erat, tribuit calyci, et corollae. Jacquinius in Stirp. Amer. hist. p. 157. auctoritati Linnaeanae acquievit. Nihilo tamen secius pronuntiavit, haud inepte facturum, qui ad habitus, fructusque discrimen inter *Capparidem*, et *Breyniam* attendens in duo genera iterum distinguet. Conjunctionem Linnaeanam De Candolleus quoque sequutus est in Prodr. 1. p. 245. non carens suspicione de necessitate generis *Capparidis* dirimendi, cumque novisset, plures e *Capparidibus* praestare fructu siliquaeformi, potius quam baccato, characteri generis a Linnaeo in fructu baccato positi substituit characterem fructus siliquaeformis, nec tamen abstinuit a stirpibus fructu baccato pollentibus cum illo conjungendis. Quae contradictiones omnes, cum in hodierna philo-

sophiae botanicae claritate ulterius admitti nequeant, impulerunt me, ut Linnaeanum *Capparidis* genus in duo genera dirimerem, cui rei ansam praesertim praebuit *Capparis frondosa* L., quae aestate praeterlapsa floruit, et fructum perfectum tulit in horto nostro; cumque agnovissem, hunc fructum esse veram capsulam unilocularem, et bivalvem, nec baccam pulposam, prout fructus *Capparidis spinosae* L. est, distineri nequivi a novo genere statuendo pro plantis fructu capsulari pollentibus, atque hoc novum genus *Uterveriae* nomine salutavi in honorem Joannis Cornelii Uterverii, qui fuit discipulus Ulyssis Aldrovandi, et qui post mortem ejus eidem suffectus est in Professoris botanici munus, et in horti botanici nostri praefecturam; quin etiam obtinuit custodiam Musaei ab Aldrovando relicti, in qua, ut verbis utar Josephi Montii, non parum inclaruit ob edita volumina ejusdem Aldrovandi, quae fuere *De piscibus Bononiae* 1613, *De quadrupedibus solipedibus Bononiae* 1616., *et De bisulcis Bononiae* 1621. (1) Verum quis forte dicet, si genus, de quo loquor, diversum est, cur nomine *Breyniae* cum Plumerio non vocavi? Atqui ita vocare non poteram, nisi confusione nova inlata, cum Schreberus, Forstero praeeunte, in Nov. Gen. plant. edit. Frankfurti 1789. aliud, diversumque genus vocabulo *Breyniae* salutaverit, cui tributa est planta ad Polygamiam monoeciam pertinens, ut patet ex Willdenowii Sp. pl. tom. 4. part. 2. p. 1127. En autem characteres novi nostri generis, et sylloge specierum, quae certo certius ad illud pertinent, et ad quod alias plures pertinere nullus dubito, si examen fructus earum ad trutinam revocetur.

UTERVERIA.

Breynia *Plum. Nov. pl. Americ. gen. p.* 39. *tab.* 16. *Linn. Gen. pl. ed.* 1. *p.* 113. *n.* 321.
Capparis *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 245. excl. spec. fructu baccato.

---

(1) *Joseph. Mont. in Dissert. praefix. Plantarum var. indicib. Bononiae studior.* 1724. *p. XV.*

Capparidis species *Linn. Sp. pl. ed.* 2. quoad plantas fructu capsulari.

Calyx perianthium liberum, monophyllum, quadrisectum. Corolla rosacea, tetrapetala, petalis obtusis, calyce longioribus. Stamina plura, plerumque polyandra, hypogyna. Filamenta filiformia. Antherae oblongae, biloculares. Stylus filiformis, crassiusculus. Stigma clavatum, longum, obtusum. Pericarpium capsula siliquaeformis, thecaphoro longo, tenui suffulta, unilocularis, bivalvis, plerumque plus minus torulosa, intus pulpa tenui, viscida obducta. Placentae duae, filiformes, una ad singulam suturam. Semina reniformia, utrinque alterna, pulpa tenui, viscida obvelata.

Habitus. Plantae fruticosae, inermes. Caulis erectus, ramosus. Folia simplicia. Flores terminales, et laterales, corymbosi, racemosi, thyrsoidei.

Observ. Fructus cum careat dissepimento, nequit esse siliqua, sed est vera capsula bivalvis.

Ord. nat. Putamineae *Lin. Ord. nat. n. XXV.*, *et Prael. in ord. nat. p.* 376. Capparides *Juss. Gen. pl. p.* 242. *Smith. Gramm. of. bot. p.* 140. Capparidées *Juss. in Ann. du Mus. d' hist. nat. tom.* 18. *p.* 174. Capparideae *Vent. Tabl.* 3. *pag.* 118. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 237. *R. Brown. in Denham, et Clappert. travels p.* 210. *et seq. Bartl. Ord. nat. p.* 265. *Schultz. Natürl. syst. p.* 449. *Rich. Famill. nat. in Nouv. élém. de bot. éd.* 5. *p.* 188.

1. Uterveria *frondosa*; foliis coriaceis, oblongis, basi angustatis, subcordatis, superioribus acuminatis; corymbo terminali, pedunculato.

Capparis frondosa *Sp. pl.* 1674. *Willd. Sp. pl.* 2. *part.* 2. *p.* 1134. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 249. *n.* 54. *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 162. *tab.* 104.

Frut. Nascitur in insulae S. Dominici sylvis, et in sylvis Carthagenae. Colitur in horto bot. Bononiensi, in cujus calidario floret Aprili prout in solo natali. Obtinui specimen spontaneum siccum a Caströnsio.

Calyx revolutus. Stamina alba, basi purpurea. Stilus crassiusculus. Stigma elongato-clavatum. Capsula siliquaeformis, subtorulosa, perfecte bivalvis ab imo ad summum, pollicaris-sesquipollicaris, intus velo pulposo, albo, viscoso tecta. Semina continuata serie disticha, sibi immediate super-

incumbentia, eodem velo pulposo, albo, glutinoso obducta. Reliqua generis.

Haec planta pluries floruit apud nos; sed aestate praeterlapsa prima vice fructum tulit, et perfecit.

2. Uterveria *Cynallophora*: foliis coriaceis, oblongis, subdistichis, glandula axillari; racemo terminali, lateralibusque, breviter pedunculatis, paucifloris; genitalibus longissimis; capsula cylindracea, torulosa.

Capparis Cynallophora *Jacq. Select. stirp. Americ. hist. p.* 158. *tab.* 98.

C. Cynophallophora *Willd. Sp. pl.* 2. *par.* 2. *p.* 1136. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 249. *n.* 61.

C. flexuosa *Sp. pl.* 722.

Frut. Nascitur in Caribaeis, et in *Venezuela.* Vulgo *Fava del diavolo*.

Folia ludunt ovata, obovata, ovato-lanceolata, subrotundo-ovata, obtusa, vel emarginata, aut acumine longissimo instructa. Flores candidi, vel ex albo virentes, odoratissimi.

3. Uterveria *verrucosa:* foliis oblongis, acutis, axillis eglandulosis; racemis terminalibus, paucifloris, abbreviatis; capsulis verrucosis.

Capparis verrucosa *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 159. *tab.* 99. *Willd. Sp. pl.* 2. *par.* 2. *p.* 1136. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 250. *n.* 71.

Frut. Habitat in sylvis, et fruticetis Carthagenae.

Capsula teres, brevis, nitida, tota verrucosa.

4. Uterveria *eustachiana:* foliis ovatis, acuminatis, nitidis, glandula axillari; racemis paucifloris, abbreviatis; capsulis elongatis, glabris.

Capparis eustachiana *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 159. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 249. *n.* 62.

Frut. Nascitur in insula S. Eustachii.

Folia ovata, acuminata, formae constantis. Flores purpurei, inodori. Proxima *Uterveriae Cynallophorae.*

5. Uterveria *comosa:* foliis lanceolatis, supra glabris, subtus cinereo-tomentosis; racemis multifloris; staminibus corolla brevioribus.

Capparis comosa *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 160. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 251. *n.* 81.

Frut. Nascitur in maritimis inundatis insulae S. Dominici.

Flores albidi, suaveolentes. Calycis laciniae lanceolatae, acuminatae. Stamina corolla breviora. Capsula elongata, laxe torulosa, ut in *Uterveria Breynia*, sed tenuior.

6. Uterveria *linearis:* foliis coriaceis, linearibus, obtusis, glabris, glandula axillari; racemis patulis; capsulis abbreviatis.

Capparis linearis *Sp. pl.* 1674. *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 161. *tab.* 102. *Willd. Sp. pl.* 2. *par.* 2. *p.* 1138. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 249. *n.* 65.

Frut. Habitat in sylvis Carthagenae.

Caulis etiam quindecimpedalis. Folia linearia, obtusa, coriacea, avenia, nitida, nervo insigniter extante, brevissime petiolata. Racemi subdecemflori, pedicellis patulis. Flores albi, inodori. Capsulae pollicares, ex aurantio rubrae.

7. Uterveria *Breynia*: foliis oblongo-lanceolatis, subtus lepidoto-scabris; corymbis pedunculatis; capsulis elongatis, tomentosis.

Capparis Breynia *Sp. pl.* 721. *Jacq. Select. stirp. Amer: hist. p.* 161. *tab.* 103. *Willd. Sp. pl.* 2. *part.* 2. *p.* 1138. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 252. *n.* 95. *α.*

Frut. Habitat in Caribaeis, et in continente proximo.

Caulis etiam decempedalis. Folia oblongo-lanceolata, supra glabra, nitida, subtus lepidoto-scabra, et pallide virentia, acuta, vel obtusiuscula. Corymbi pedunculati, terminales, et axillares. Flores candidi, gratissime olentes. Capsula siliquaeformis, tenuis, novempollicaris, tomentosa, e luteo fusca.

Haec est ipsamet planta, a qua Plumerius desumpsit genus *Breyniae* in Nov. pl. Amer. gen. p. 39. tab. 16.

8. Uterveria *tenuisiliqua*: foliis ovato-lanceolatis, acuminatis; thyrso terminali, multifloro; capsula longissima, torulosa.

Capparis tenuisiliqua *Jacq. Select. stirp. Amer. hist. p.* 162. *tab.* 105. *Willd. Sp. pl.* 2. *par.* 2. *p.* 1138. *De Cand. Prodr.* 1. *p.* 251. *n.* 85.

Frut. Nascitur in sylvis Carthagenae.

Arbuscula octo-quindecimpedalis. Folia tenuia, glabra, longiuscule petiolata. Thyrsus terminalis, solitarius, sex-septempollicaris, floribus circiter quinquaginta, inferioribus primoribus. Bracteae setaceae ad basim pedicellorum. Corolla

e viridi alba, inodora. Genitalia pollicaria. Capsula siliquaeformis, gracilis, sex-septem pollices longa, torosa, glabra.

Non dubito, quin aliae species, et praesertim Americanae, ad hoc idem genus pertineant, et forte omnes illae sectionis tertiae Decandolleanae in Prod. 1. p. 249; sed cum fructus earum hactenus sit ignotus, rem declarent autoptae. Transeamus nunc ad species novas horti nostri describendas.

1. MORINDA *sessiliflora*: caule fruticoso, erecto; foliis oppositis, oblongis, utrinque angustatis, glabris; capitulis axillaribus, solitariis, sessilibus *Tab. IV. fig.* 1. 2.

M. sessiliflora *Bert. Syll. pl. hort. bot. Bonon. ann.* 1827. *p.* 5.

Frut. Habitat in Antillis, unde semina obtinui a BERTERO. Floret in horto nostro Augusto, Septembri.

Caulis teres, erectus, glaber, ramosus, in ollis nostris bi-tripedalis. Folia opposita, oblonga, acuta, basi angustata, brevissime petiolata, glabra, stipula interfoliacea utrinque una, lata, brevi, apice aristulata. Capitula globosa, sessilia, solitaria, axillaria, nuda, densiflora. Subinde sub capitulis supremis folia deficiunt, tuncque capitula haec videntur pedunculata. Corolla parva, epigyna, alba, infundibuliformis, quadri-quinque-sexfida, laciniis lanceolatis, acutis, acuminulo inflexo, supra sulcatis, decidua. Faux barbata. Stamina quinque-sex, sita in fauce corollae. Filamenta brevissima horizontalia. Antherae lineares, longiusculae, verticales. Ovarium adnatum. Stilus filiformis. Stigma bifidum, virens, extra faucem corollae prominens, stamina superans, non corollam. Fructum non perfecit apud nos.

Fig. 1. exhibet plantam capitulo sessili. *Fig.* 2. ostendit lusum capitulo pedunculato ex foliis abortivis.

2. ONONIS *Masquillierii*: caule ascendente, piloso; foliis ternatis, foliolis oblongis, acutis, superne argute serrulatis; racemo spicaeformi, terminali, pedunculato, pubescenti-glanduloso; bracteis ovatis, calyce brevioribus; laciniis calycinis lanceolato-linearibus, legumen superantibus *Tab.* 2.

Perenn. Nascitur ad thermas Porrectanas, unde attulit ad me Aemilius Masquillierius discipulus meus praestantissimus. Floret Julio.

Caulis teres, inermis, ascendens, pilosus, pilis patulis, inaequalibus, ramosus, saepe rubens. Folia ternata, supremis

prope racemum subinde simplicibus, brevissime petiolata, petiolo utrinque alato stipula adnata, semiovata, aut oblonga, acuta, serrulata, pilosa, multinervi, viridi. Foliola oblonga, et interdum anguste, acuta, inferne integerrima, superne argute serrulata, nervoso-venosa, pilosa, supra laete viridia, subtus pallidiora, lateralibus brevissime, impari paulo longius petiolulatis. Racemus spicaeformis, terminalis, breviter pedunculatus, modo densiusculus, modo laxior, praesertim inferne, rachide, bracteis, pedicellis, calycibusque pubescentibus, pubescentia albida, molli, patula, apice glandulifera. Bractea ad singulum florem ovata, aut ovato-lanceolata, integerrima, vel subdentata, acuta, viridis, calyce brevior, plerumque pedicellum superans. Interdum flores imi stant in axilla folii ternati, aut simplicis, quo breviores sunt. Pedicelli inferiores circiter sesquilineares, reliqui breviores. Calyx quinquepartitus, laciniis lanceolato-linearibus, acutis, externis incurvis. Corolla calyci subaequalis, aut paulo longior. Vexillum acutum, extus pilosulum, roseum. Alae albidae. Carina superne rosea. Legumen calyce brevius, pilosum. Semen obovatum, pede incurvulo, compresso-turgidum, sub lente echinulatum, maturitate fuscum.

Collocanda juxta *Ononidem mitissimam* L., quae differt a nostra caule erecto, foliolis obovatis, obtusis, crebrius, et numerosius serrulatis, racemis brevioribus, sessilibus, densius floriferis, fere glabris, bracteis longioribus, basi stipulaceis, calycis tubo albo, glabro, laciniis ovato-lanceolatis, acuminato-mucronatis, ciliatis, semine minore, fusco-flavido.

3. Grewia *micropetala*: hirsuta, pilis fasciculatis; foliis cordato-subrotundis, argute, inaequaliter serratis, basi tri-quinquenerviis; racemis axillaribus, subquinquefloris, petiolo brevioribus; calycibus corolla duplo longioribus *Tab.* 3. *a. b. c. d.*

Balneda ex capite viridi *Scanagat. Cat. hort. bot. Ticin. an.* 1797. *p.* 8.

B. corylifolia *Scanagat. Syn. plant. hort. bot. Bon. p.* 13.

Frut. Locus ejus natalis est *il Capo verde.* Colitur in horto nostro introducta a praedecessore meo Josue Scanagatta. Floret Julio.

Fruticulus humilis. Caulis teres, obductus cortice cinereo, senescente rimoso, ramosus, ramis patulis, junioribus hirsutis.

Folia alterna, petiolata, cordato-subrotunda, acute, inaequaliterque serrata, interdum superne sublobata, obtusa, vel acuta, reticulato-venosa, basi tri-quinquenervia, supra bullato-rugosa, laete viridia, hirsuta, scabra, subtus cano-pubescentia, molliuscula. Petioli longiusculi, hirsuti, apice paululum incrassati. Stipulae semicordatae, acutae, deciduae, contortae, nervo dorsali laterali, extus hirsutae. Racemi solitarii, axillares, tri-quinqueflori, petiolo breviores, Bractea sub quovis pedicello, similis stipulae, decidua. Calycis foliola quinque, subinde quatuor, oblonga, obtusa, coriacea, apice recurva, corolla, genitalibusque duplo longiora, extus viridi-flavida, et hirsuta, intus rubida, glabra. Petala quinque, subinde quatuor, admodum parva, oblonga, emarginata, fere colore calycis interni, thecaphoro inserta, basi instructa glandula suborbiculari, depressa, luteola, ambitu villosula. Petali lamina supra glandulam vix lineam longa. Antherae globulosae, biloculares, incumbentes, luteae. Stigma capitatum, multilobo-lacinulatum, virens. Capsula depressa, quadriloba, quadrilocularis, quadrivalvis, hirsuta. Thecaphorum columna crassa, brevis, sustinens corollam, et genitalia. Pili totius plantae fasciculati, inaequales.

Genus hujus plantae nimis evidens est, nec ullo pacto novum, ut putavit Scanagatta; sed species nova est, et probe distincta, quae systematicos omnes hactenus aufugit.

Explicatio Tabulae VI.

a. Flos perfectus in anthesi.
b. Flos abludens partibus quaternariis.
c. Flos post anthesim.
d. Fructus maturus.

4. Acacia *velutina*: inermis; foliis bipinnatis, tomentosis, partialibus bijugis, propriis subquinquejugis; foliolis obovato-dimidiatis, externis majoribus; spicis axillaribus, subgeminis, pedunculatis, globosis *Tab.* 4.

A. velutina *Bert. Syll. pl. hort. bot. Bon. an.* 1827. *p.* 3.

Frut. Nascitur in Antillis, unde semina obtinui a Bertero. Floret apud nos Septembri decedente, et veniente Octobri.

Caulis teres, erectus, parce ramosus, apud nos circiter quadri-quinquepedalis, superne molliter pubescens. Folia breviter petiolata, bipinnata, partialia bijuga, propria quadri--quinquejuga, foliolis parvis, latiusculis, obovato-dimidia-

tis, obtusis, vel acutiusculis, basi obliquis, molliter tomentosis, tomento brevi. Glandulae nullae in foliis. Stipulae oblongae, deciduae. Spicae nubiles magnitudine pisi, aut paulo ultra, in nuptiis, staminibus expansis, magnitudine cerasi. Flores albo-virentes, odore levi, suavi, ad odorem florum *Philadelphi coronarii* accedente. Stamina basi monadelpha, plurima castrata. Fructum apud nos non perfecit. Proxima *Acaciae callosae* nostrae, non Sprengelii; sed minor omnibus partibus, et frigoris magis impatiens.

Tab.a I



Fig. 1.



Fig. 2

Morinda sessiliflora Bert.

Fettine in lap. del   Bellini

Tab.a II



Ononis Masquillierii. Bert.

C. Bettoni in lap. del.

Lit. Bettoni.

Tab. VII



Grewia Micropetala Bert.

C. Bettoni in lap. del.   Lit. Bettoni

Tab.ª VIII



Acacia velutina Bert.

C. Bettini in lap. del. Lit.ª Bettini.


3 2044 102 803 574